

aatem ex æquo ad omnes spectat. Atque hic illud quoque animadvertendum est, non modò inani sono atque murmure, sed ita ab omnibus esse audiendum hoc sacrum verbum, ut per ipsas penetret aures, in mentemque descendat; hoc enim sibi vult illa particula, *coram*, quæ non temerè est à Septuaginta reddita, *eis*, *et* *et* *et*, in aures. Nam sic Moses ipse est eam alio interpretatus loco Exod. 54, 7, et Deut. 51, 11, cum diceret: *Recitabis legem istam coram omni Israele, in auribus ipsorum*. Quem enim consequatur fructum vel ex optimâ concione surdus? Et qui potest non surdus existimari in eo quisque sermone, quem vel non intelligit, vel non satis animo assequitur? Sed non eâ hæc à me dicuntur, quòd mysteria omnia, quæ in sacris faciendis effantur sacerdotes, auribus vulgi ingerenda putem; nam hoc ab nascentis Ecclesiæ primordiis factum non esse, veterum liturgiarum, ut vocantur, formam ostendunt, in quibus multa voce submissa missanda verius, quam pronuntianda traduntur. Nam mysteria illa secretiora enuntiare, atque in vulgus pervulgare, quid aliud, quæso, esset, quàm profanare? et religiosa veneratio, in quâ aliqui habentur, ut debent, prorsus spoliata ire? Plurimum quidem refert, ut potius ad justam religionem necessarium est, scire atque opinari populum maxime esse in nostris sacris mysteria. At in quibus ea verbis ritibusque posita sint, id verò nescire vulgus rude, et imperitum, consultus est, ne non satis religiosè scienterque perspecta contemnat ea quæ per admirationem debebat piè venerari. Verùm jam à proposito non nihil declinasse mihi videor. Nam de legis scripturæ verbis caperem agere. Eò igitur redeat sermo.

Dicit ergo aliquis: Si nullo discrimine quilibet Israelitaque advena ad audiendam Moysi legem admittatur, quanta sit eorum vel ignorantia, vel invidia, vel denique inscitia, qui christianis hominibus, non nisi per angustum cùm delectu Christi legis lectionem permittant, vulgusque universum semel prohibendum s'atuant? — Atqui longè aliud est, ex sacerdotis ore, qui Dei administer atque interpret est, legem audire, aliud de scripto eam cognoscere. Et ut lectio etiam, similiter atque auditio, concessa populo Israelitico fuerit (neque enim ego hoc negare audeam, quamvis negent plerique Judæi), alia est Mosaicæ legis ratio, alia Christi. Illa enim propè universa in civilibus sanctionibus versabatur, neque in ritibus sacris, supra

actuosum, sive, ut vocant, externum cultum progrediebatur. Nam secretiorum eius interpretationem tam haberi arcanè volebat Deus, (est enim Esdræ adhibenda fides), ut eam non aliis, quam paucissimis spectatæ virtutis viris tradendam putaret, et quidem, ut Judæi dicunt, verbo tenus modò, ne scripta videlicet, casu aliquo excideret in vulgus. Hæc verò penè tota in illius secretioris interpretationis explicatione distringitur. Equidem tamen, etsi hæc ita se habent, neminem christianum à legis Christi lectione arcerim, qui modò imperare animo suo possit, ut quorum dictorum sententias aut non planè intelligat, aut catholice Ecclesiæ decretis parùm consentanea existimet, ea dicta non pro suo sensu interpretari velit (sumus enim plerique omnes nostratè vitiositate, nunc verò etiam vitioso more, ad prodenda Ecclesiæ dogmata, quæ planè certissima veri rectique norma sunt, proclivissimi), sed piè humilique mente judicium suum sustineat, dum ab iis, quos Deus suorum verborum interpretes et internuntios in Ecclesiâ esse vult, divina sensa percipiat. Sed hæc haec sunt. Est enim ista hæc questio multorum adversariis libris pertractata disputaque.

Nunc pauca addam, quibus eam, quæ proximi versiculis descripta est, ceremoniam universam semel ante oculos ponam. Igitur cum jam substructa ara esset, atque erecti inerustatique lapides, et in his accuratissimè picta lex, insuper ritè sacrificatum, quibus ante diximus sacrificiorum generibus, tum demùm levitici generis aut perpetuò idem unus, aut vicissim plures viri (utitur enim Moses numero plurium) è medio loco, ubi ara sustinebatur à suis hajulis sacerdotibus, obvertebant se primum ad montem Garizim, hoc est, ad dextram latus, atque sublatâ, quantum poterunt, voce, tanquam faciales et solemnes stipulatores, pronuntiabant duodenas illas benedictionis verborum complexiones, quæ ex maledictionis formulâ, eâ quæ à Mose erat prescripta, faciliè concinnabantur, post singulas interpositio silentio approbationem populi utrinque adstantis veluti stipulantes, quâ auditâ, pergebat deinceps singulatum ad reliquas. Verbi gratiâ, spectans Levita ad Garizim clamabat primum: *Benedictus est à Deo, quisquis unam Jehovah* (sive solum Dominum), *non etiam deos alienos colerit, neque opus artificis factum maribus, quod abominatur Dominus, occultè sibi positum habuerit*. Et hic dum ille silentio insisteret, universus utrinque populus, tam qui ad Hebal quam qui

ad Garizim constiterant, succinebant, Amen. Deinde pergebat ille ad secundam benedictionem verbis hujusmodi: *Benedictus est à Deo, qui parentes suos honorat, non spernit, aut negligit*. Atque hic iterum tacens, audiebat ex utraque parte acclamantem populum, Amen. Itaque decurrebat deinceps Levita per duodenas benedictiones, cum singulas universus populus singulatum approbaret. Deinde avertet se versus montem Hebal, parique ritu duodenis illis execrationibus defungebatur, in singulis, ut dixi, insistens, concionisque universæ assensionem expectans. Cum porrò et benedictiones primum, et deinde maledictiones sic percussisset, et utramque approbationes audisset, subnectebat deinde illam Deuteronomii partem, quæ toto vicesimo octavo capite est perscripta, tanquam præcedentium partium explicationem, atque ita jusjurandum sanctum, fœdusque ritè cum Deo factum censebatur. Ex æquo igitur ad omnes tribus eum benedictiones, tum detestationes pertinebant. Quæ ratio, opinor, est, cur Moses duodenarium numerum, qui et tribuum est, observaret. Nam etsi alias spectarent Levitæ tribus, cum benedictiones pronuntiarent, alias, cum maledictiones, tamen simul ab omnibus approbationem tacitè stipulabantur, neque ullâ erat in re pars alterutra prærogativa, sed pari omnino fœre conditione, qui ad Hebal, cum iis qui ad Garizim consistere jussi fuerant. Uno enim eodemque sacramento et fœdere se obligabant ex æquo omnes Deo, non alter, quam si militum legio, concepti verborum formulâ, quæ per præconem aliquem pro imperatore stipulantem pronuntietur, in militari concione, CAPUT IX.

1. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac litore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Heithæus, et Amorrhæus, Chananeus, Pherezæus, et Hevæus et Jebusæus,
2. Congregati sunt pariter ut pugnant contra Josué et Israël uno animo eademque sententiâ.
3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josué Jericho et Hai,
4. Et callidè cogitantes, tulerunt sibi

aque communi confusisque multitudinis voce et acclamatione approbaret, imperatori dei nomen; æqua enim omnibus incumbit militiæ necessitas, parique auctoramento obligati omnes habentur, quemcumque locum quisque, dum confluent, ceperit. Videntur quidem castris, quæ ex justis nuptiis sunt præcreata, loco potiori, hoc est, ad dextram montem Garizim, habuisse subsellia. Nam Rubenitica et Zabulonitica, quæ ipsæ quoque ex liberis matribus propagatæ cum essent, tamen ad sinistram Hebal cum ancillarum prole sunt collocatæ, idè eam, ut videbatur, indignationem sustinebant, ut arbitrantur Judæi, quia Ruben paternum lectum commaculasset, Zabulon autem filiorum Lia natu fuisset minimus. Parem enim utrinque numerum esse oportuit; verùm in participando fœdere sacramento certum est æquam fuisse omnium sortem.

Sed cur, inquires, promissæ ipsos se circumfundere arce passus non est Moses? Neque enim alibi reperias in comitis sic tributum discretos Israelitas. — Respondet Levi F. Gersonis, nec iniecit, ut nulli videret, Deum, ut pressus ob oculos omnium poneret, quantum esset inter benedictionem maledictionemque dissidium, adversa populo subsellia assignari voluit, quasi nefas esset, eadem utramque cœff regione pronuntiare. Itaque alteri ad dextram, benedictorum, alteri ad levam, maledictorum quidem personam sustinuerunt, at conditionem, ut apud Mathæum, cum Filius hominis pro illo angustissimo tribunali judicium exercebit totius orbis terrarum, sed tanquam in scenâ modò, pro rei specie exhibendâ.

CAPITRE IX.

1. Toutes ces choses ayant été publiées, et le bruit s'en étant répandu dans tout le pays, les rois d'au-delà le Jourdain, ceux qui demeuraient dans les montagnes et dans les plaines, dans les lieux maritimes et sur le rivage de la grande mer, et ceux qui habitaient près du Liban, les Héthéens, les Amorrhéens, les Chananeens, les Phéréziens, les Hévéens et les Jebuséens,
2. S'unirent tous ensemble pour combattre contre Josué et contre Israël, d'un même cœur et d'un même esprit.
3. Mais les habitants de Gabaon, ayant appris tout ce que Josué avait fait à Jéricho et à la ville de Hai,
4. Et usant d'adresse pour être un peccé trait-

cibaria, saccis veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque conutos,

5. Calceamenta que perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis; pannes quoque quos portabant ob viaticum duri erant, et in frusta comminuti.

6. Perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgala, et dixerunt ei atque simul omni Israeli: De terrâ longinquâ venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt:

7. Ne fortè in terrâ quæ nobis sorte debetur habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum.

8. At illi ad Josue: Servi, inquit, tui sumus. Quibus Josue ait: Quinam estis vos? et unde venistis?

9. Responderunt: De terrâ longinquâ valdè venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentie ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,

10. Et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon, regi Hesebon, et Og, regi Basan, qui erat in Astaroth.

11. Dixeruntque nobis seniores et omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite: Servi vestri sumus; fœdus inite nobiscum.

12. En panes, quando egressi sumus de domibus nostris ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus; nos sicci facti sunt, et vetustate nimâ comminuti;

13. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti; vestes et calceamenta quibus induimur et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt et penè consumpta.

14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt.

tement, prirent des vivres avec eux, et mirent de vieux sacs sur leurs ânes, des vaisseaux pour contenir le vin qui avaient été rompus et recousus,

5. De vieux souliers rapiécés pour les faire paraître encore plus vieux; ils étaient couverts aussi de vieux habits, et les pains qu'ils portaient pour leur nourriture pendant la route étaient fort durs et rompus par morceaux.

6. Ils se présentèrent en cet état à Josué, qui était alors dans le camp de Galgala, et ils lui dirent ainsi qu'à tout Israël: Nous sommes venus d'un pays très-éloigné, dans le désir de faire la paix avec vous. Les enfants d'Israël leur répondirent:

7. Peut-être demeurez-vous dans ce pays qui nous a été réservé comme notre partage, et en ce cas, nous ne pourrions faire alliance avec vous sans aller contre les ordres de notre Dieu.

8. Mais ils dirent à Josué: Nous sommes ici pour vous servir. — Qui êtes-vous? leur dit Josué, et d'où venez-vous?

9. Ils lui répondirent: Vos serviteurs sont venus d'un pays très-éloigné, au nom du Seigneur votre Dieu; car le bruit de sa puissance est venu jusqu'à nous; nous avons été informés de toutes les choses qu'il a faites en Égypte,

10. Et de quelle manière il a traité les deux rois des Amorrhéens qui étaient au-delà du Jourdain, Sehon, roi d'Hésébon, et Og, roi de Basan, qui était à Astaroth.

11. Nos anciens et tous les habitants de notre pays nous ont dit: Prenez avec vous des vivres pour un si long voyage, et allez au-devant d'eux, et leur dites: Nous sommes vos serviteurs, faites alliance avec nous.

12. Voilà les pains que nous primes tout chauds quand nous partîmes de chez nous pour venir vous trouver, et maintenant ils sont tout secs, et se rompent en pièces, tant ils sont vieux.

13. Ces vaisseaux étaient tout neufs quand nous les avons remplis de vin, et maintenant ils sont tout rompus; nos habits et les souliers que nous avons aux pieds se sont tout usés dans un si long voyage, et ils ne valent plus rien.

14. Les principaux d'Israël prirent donc de leurs vivres pour voir s'ils étaient aussi vieux qu'ils le disaient, et ils ne consultèrent point le Seigneur; mais ils s'en rapportèrent à ce témoignage trompeur.

15. Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur; principes quoque multitudinis juraverunt eis.

16. Post dies autem tres inito fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent.

17. Moveruntque castra filii Israel; et venerunt in civitates eorum die tertio; quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.

18. Et non percusserunt eos, eò quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.

19. Qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Israel, et idcirco non possumus eos contingere.

20. Sed hoc faciemus eis: Reserven-tur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur si pejeravimus,

21. Sed sic vivat ut in usus universæ multitudinis ligna cedant aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus,

22. Vocavit Gabaonitas Josue et dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valdè habitamus à vobis, cum in medio nostrî sitis?

23. Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestrà ligna cedens aquasque comportans in domum Dei mei.

24. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis servis tuis quod promississet Dominus Deus tuus Moysi servo suo ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus: timuimus igitur valdè, et providimus animalibus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus.

25. Nunc autem in manu tuâ sumus; quod tibi bonum et rectum videtur fac nobis.

26. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel ut non occiderentur;

15. Et ainsi Josué, ayant pour eux des pensées de paix, fit alliance avec eux, et leur promit qu'on leur sauverait la vie; ce que les princes du peuple leur jurèrent aussi, ne les croyant pas du nombre de ceux que le Seigneur avait soumis à l'anathème.

16. Mais trois jours après que l'alliance fut faite, ils apprirent que ces peuples habitaient dans le pays voisin, et qu'ils demeuraient ainsi au milieu d'eux.

17. Et les enfants d'Israël ayant décampé vinrent en effet trois jours après dans les villes des Gabaonites, dont voici les noms: Gabaon, Caphira, Béroth, et Cariathiarim.

18. Cependant ils ne les tuèrent point, parce que les princes du peuple avaient juré l'alliance avec eux au nom du Seigneur Dieu d'Israël; mais tout le peuple murmura contre les princes, parce qu'ils les empêchaient de profiter des dépouilles des Gabaonites.

19. Et les princes leur répondirent: Nous leur avons juré, au nom du Seigneur Dieu d'Israël, qu'on leur sauverait la vie: ainsi nous ne pouvons leur faire aucun mal.

20. Mais voici comment nous les traiterons: ils auront à la vérité la vie sauve, de peur que la colère du Seigneur ne s'éleve contre nous si nous nous parjurons;

21. Mais ils vivront de telle sorte qu'ils seront employés à couper du bois et à porter de l'eau pour le service de tout le peuple. Lorsque ces princes parlaient ainsi,

22. Josué appela les Gabaonites, et leur dit: Pourquoi avez-vous voulu nous surprendre par un mensonge, en disant: Nous demeurons fort loin de vous, puisqu'au contraire vous êtes au milieu de nous?

23. C'est pour cela que vous serez sous la malediction, et qu'il y aura toujours dans votre race des gens qui conperont le bois et qui porteront l'eau dans la maison de mon Dieu.

24. Ils lui répondirent: Le bruit était venu jusqu'à nous, qui sommes vos serviteurs, que le Seigneur votre Dieu avait promis à Moïse son serviteur de vous donner tout ce pays et d'en exterminer tous les habitants; ce qui nous jeta dans une grande crainte, et nous obligea, par la terreur dont nous nous trouvâmes frappés, à former ce dessein pour mettre nos vies en sûreté.

25. Mais maintenant nous sommes en votre pouvoir; faites de nous tout ce que vous jugerez bon et selon l'équité.

26. Josué fit donc ce qu'il avait dit, et il

27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi et altaris Domini, cædentes ligna et aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegerat.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Cùmque audissent omnes reges, qui erant trans Jordanem, in monte, et in submissiore loco, atque in universo litore maris magni: è regione Libani, Hethæus, et Amorrhæus, Chananeus, Pherezæus, Hevæus et Jobuseus.— 2. Congregaverunt se simul ad pugandum cum Josuâ, et cum Israele, ore uno.— 3. Incolæ Gabaonis quoque audierant, quæ fecerat Josua ipsi Jerichunt, et ipsi Hai.— 4. Atque etiam ipsi egerunt callidè; et iverunt simulatum legationem, acceperuntque saccos veteres in asinos suos, et utres vini veteres, atque laceros, sarcitosque;— 5. Calceos quoque veteres, et quorum sola frustis suppacta erant, in pedibus psorum, vestes præterea veteres induebant. Et omnis panis viatici ipsorum aridus erat, mucore maculosus.— 6. Profectique sunt ad Josuam, in castra ad Galgala, et dixerunt ad ipsum, et ad quemque Israelitam: Ex terrâ longinquâ venimus; atque ferite nobis fœdus.— 7. Et dicebant quisque Israelita ad Hevæum: Fortassè intra me tu habitas; quomodò ergo feriam tibi fœdus?— 8. Ad Josuam quoque dicebant: Nos servi tui sumus. Josua verò aiebat ad ipsos: Qui estis vos? et unde venistis?— 9. Dicebantque ad ipsum: Et terrâ valdè longinquâ venerunt servi tui, ad nomen Domini Dei tui; nam audiveramus famam ipsius, et omnia quæ gessit in Ægypto.— 10. Tum omnia quæ fecit duobus regibus Amorrhæis, qui erant cis Jordanem, Seboni regi Hesebonis, et Og regi Basan, qui erat in Astaroth.— 11. Dicebantque ad nos seniores nostri, et omnes habitatores terræ nostræ, dicendo: Sumite in manus vestram eorum carneam ut iter, et abite obviam illis, atque dicitote ad illos: Servi vestri sumus; nunc ergo ferite nobis fœdus.— 12. Istum panem nostrum calentem, sumpsimus ipsum pro viatico ex ædibus nostris, quo die exhibamus, ut proficisceremur ad vos; jam verò, en aruit, factusque est mucore maculosus.— 13. Et hi sunt utres vini quos implevimus novos; et en, rupti sunt; hæc quoque vestes nostræ, et calcei nostri obsoluerunt, propter maximum iter.— 14. Sumpserunt igitur viri de illorum viatico, neque os Domini interrogaverunt.— 15. Fecitque Josua cum illis pacem, et percussit ipsis fœdus, conservandi ipsos salvos, et juraverunt ipsis principes cœtis.— 16. Factum est porro post finem trium dierum, ex quo illis percerant fœdus, ut audirent, quòd vicini sibi essent, atque intra se illi habitarent.— 17. Profectique sunt Israelitæ, et venerunt ad illorum urbes, die tertio: Erant autem illorum urbes Gabaon, et Caphira, ac Beeroth, et Cariathiarim.— 18. Et non percesserunt ipsos Israelitæ, eò quòd juravissent ipsis primates cœtis per Jehovam, Deum Israelis. Cæterùm omnis cœtus murmurabant adversus principes.— 19. Dicebant autem omnes principes ad universum cœtum: Nos juravimus illis Jehovam Deum Israelis; proinde non poterimus attingere ipsos.— 20. Hoc faciemus ipsis, et conservabimus ipsos salvos, ne recidat in nos ira, propter jurandum, quod ipsis juravimus.— 21. Dicebant, inquam, principes ad illos: Vivant, et sint cæsores lignorum, et haustores aquarum universo cœtui, sicut principes locuti inter se fuerant.— 22. Vocavit ergo illos Josua, et locutus est ad ipsos, dicens: Cur nos decepistis dicendo: Longissimè absumus à vobis, cùm inter nos habitetis?— 23. Jam ergo detestabiles estis, neque deerit è vobis servus, tum cæsores lignorum, tum haustores aquarum, domui Dei mei.— 24. Et responderunt Josuæ, dixeruntque, quia famâ perlatum ad servos tuos fuerat, quòd præcepisset Dominus Deus tuus Mosi servo suo, ut vobis daret omnem terram, atque deleret omnes incolas terræ, è conspectu vestro; valdè metumus vitæ nostræ à vobis, atque hæc rem egimus.— 25. Jam verò ecce nos in manu tuâ sumus; ut bonum æquumque visum fuerit tibi agere nobiscum, ita agito.— 26. Fecit ergo illis sic, liberavitque ipsos à manu Israelitarum, neque peremerunt ipsos.— 27. Constituitque ipsos Josua eo die cæsores lignorum, et haustores aquarum ipsi cœtui, et aræ Domini, usque ad præsentem diem, in eo loco quem esset electurus.

COMMENTARIUM.

VERS. 1, 2.— CUMQUE AUDISSENT OMNES REGES QUI ERANT TRANS JORDANEM, etc. Post captas deleatasque cæde et incendio duas urbes, Jeri-

les délivra des mains des enfans d'Israël, en ne permettant point qu'on les tuât.

27. Et il arrêta dès ce jour-là qu'ils seraient employés au service de tout le peuple et de l'autel du Seigneur, coupant le bois et portant l'eau au lieu que le Seigneur aurait choisi, comme ils font encore jusqu'à présent.

omnes, qui trans Jordanem, hoc est, in Chananeâ, regnabant, coiverunt in unan sententiam, atque se belli societate implicaverunt adversus Josuam, copiasque Israeliticas faciendi. Cæterùm ista commemorantur hoc loco quasi ~~exemplum~~ eas res quæ proximis capitibus enarrabuntur. In illis enim audiemus regum multorum conspirationes, collatasque vires ad Israelitarum progressus reprimendos. Nam adhuc non delectus habere, nedùm copias cogere, sed de communi re deliberare modò, atque societatis federa jungere videntur, ut de mutuis subsidiis, si opus fuerit, certi sint. Quasi verò ne nunc quidem rei gerendæ tempus urgeat, sed illiuscemodî fœderibus faciendis mora satis tuta inertiissimo possit otio parari. Sed hic est stupor ille cecitasque, et planè perturbatio atque confusio mentis et intelligentiæ Chananeorum, quæ ex terrore illo nascebantur, quem se omnibus injecturum promiserat Deus, cùm diceret Gen. 55, 5: *Et mitam terrorem meum ante faciem tuam, et terrebò omnem populum, ad quem accedes*, etc. Quali terrore similiter vicinorum omnium animos rationesque perturbât, cùm pacis specie filii Jacob Sichimitas cecidissent. Nimirùm postquam admirabilibus illis trajectionibus maris Rubri, vastæ et inexplicabilis solitudinis, Jordanis denique, insuper portentosa illâ Jerichuntis eversione, ut plurima alia præteream miracula, quorum fama etiam apud vulgus Chananeorum erat pervagata, quod ex Rahab didicimus, quando istis, inquam, et similibus mirandis Dei factis non avertiebantur ad ejus majestatem agnosendam, neque benignitate ipsius invitabantur ad meliorem mentem inveniendam, dedit ipsis mentem insipientem, ut ea facerent, quæ minimè ex usu erant, et quæ factio opus essent, ea non animadvertenter; sed etiamnum securi, voluptatibus suis moras necerent. Quâ re simul id efficiebat Deus, ut suorum Israelitarum animos paulatim, ipso hostium locorumque regionis, alioqui incongruæ, aspectu usque duraret atque confirmaret, cæteroqui magnâ potentie adversariorum opinione nihil præoccupatos, neque satis unquam fidentes divinis promissis, adversus tam validas, ut ipsi opinabantur, nationes. Quin ista tanta Chananeorum, et planè ~~certa~~ secordia atque ignavia rei benè gerendæ, non in istis modò belli principiis, quo de capite, et prorsus fortunis illorum omnibus agebatur, sed ad ipsum usque finem perspicuè apparet. Neque etiâ ipsos usquam,

captatâ occasione, quales credibile est, magnas sæpè esse oblatas, ultrò invadere Israelitas, sed ubique ab his invadi videbimus. Nimirùm admirabilis et immensus semper fuit Dei adversus Ecclesiam amor atque benignitas; et ad eam tendam amplificandamque tanta procuracionis sedulitas, quantam mortalium nemo grato unquam animo statim poterit aestimare. Quò mihi magis desipere, ne dicam insanire, videntur ii, qui illi, per aliquot jam superiora secula, cum hæc amatissimâ sponsâ suâ dissidium fuisse audent dicere, tanquam deformitate ejus nimis offenso. Fuit scilicet aliquando tempus, cùm plurimis illa vitium non esset deformis, præsertim singillatim, non universè, toto corpore spectata. Sed qualis, rogo vos, qui Deum amoris erga Ecclesiam suam satisfactione unquam teneri posse putatis, qualis, inquam, illa tunc toto corpore erat, cùm ipse ex abundantissimâ charitate sic eam consolaretur, ut diceret Isa. 49, 15, 16: *Et mitem mater ventris sui partum obliviscatur et negligat, tu ex mente meâ excides nunquam*, sed tuos muros, quibus videlicet munita adversus hæreticorum insultus es, semper in oculis habiturus sum, ne Satanæ astutibus labefactentur, aut universæ portis inferni emissæ furie te superare queant.

Sed aggrediamur sacra verba. Mare Magnum dici Mediterraneum, illud quod Syriae latus occidentum alluit, Magnique cognomen, lacuum stagnorumque comparatione habere (hæc enim illi genti etiam maria sunt) notius est, quam ut longiore explicatione opus sit. Pro litore autem, si quis portum dicere malit, non refellam. Est enim hebraicè, חַיִּי, cui verbo, ab occultando dicto, locus omnis subjicitur, in quo naves à vento latere, stationemque tutam habere possint.

Porro illud, è regione Libani, aut propè Libanum (nam sic quoque commodè interpretari potest), Chaldeeus ad mare Magnum ostendendum spectare putat. Addidit enim ille pronomen relationis, inquires: *Quod est è regione Libani*. At Latinus et Septuag. opinantur omissem esse nexûs particulam, eamque suggerendam, et ipsam significari Phœniciam, peculiarem regum sedem, in quâ Berythus, Sidon, Sarepta, Tyrus, alia oppida Libano Antilibanoque objecta ad mare jacent. Nam eos duos montes uno Libani nomine contineri, dictum à nobis alibi est. Equidem eò spectare ista verba crediderim, ut cùm ante dictum esset, *trans Jordanem*, altiùs etiam quam Jordanis

tractus sursùm extenditur, famam illam secundùm maris litus volasse intelligamus, aut quod universè de maris litore positum fuerat, id istis verbis definiri ad Libanum. Caterùm de illis gentibus quæ hæc sex, alibi septem, interdum pluribus, sæpè etiam paucioribus nominibus representantur, sunt quædam à nobis scripta capite tertio, ad versiculum decimum. Septuaginta, quod nonnulla exemplaria testantur, Gergeseos, in hebræo, propter ejus gentis paucitatem, ut Judæi existimant, præteritos, de suo addiderunt. Quod autem nos, ut hebræum exprimeremus, uno ore, convertimus, id latinus his explicavit verbis: *Uno animo, eademque sententiâ, chaldæus, unâ societate, est interpretatus. Sed quid dicatur satis perspicuum est.*

VERS. 3, 4, 5. — INCOLE GABAON QUOQUE AUDIERANT, QUÆ Fecerat Josua, etc. Postquàm paucis verbis indicatum est, hæcenus prospexisse rebus suis reges Chanaanæos adversus Israelitas, ut fœdera inter se sanciverint de belli societate, transitur ad Gabaonitarum historiam, quæ sanè memorabilis est cum primis, tum propter Nathinæos, aquatores, lignatoresque sacræ ædis, quorum nobis originem aperit, tum maxime, quod testetur luculentissimè, divinam misericordiam paratissimam esse iis, quos scelorum suorum potest poenitere, atque etiam quia, ad præsentem locum quod attinet, nobis apertè ante oculos ponit eam oppositionem, quæ inter Dei filios et impios homines est, dignissimam profectò accuratissimam notatione animadversioneque. Nam audierant quidem reges chanaanæi opera Dei admirabilissima, quibus ille omnes clementer invitabat ad poenitentiam, ut ex quibus æternam ipsius potentiam divinitatemque perspicere atque intelligere poterant. Sed adeò non permovebantur ad pietatem, ut consilia etiam conferrent, quibus possent modis divino ejus numini amplius resistere. Audierant et Gabaonitæ, atque iis auditionibus sic fuerunt illic commoti, ut quocumque tandem ratione in eorum amicitiam societatemque insinuare se oportere constituerent, quos viderent tam potenti, tamque in suos benigno Deo esse charos. Sunt etiam, qui ex istâ historiâ confici putant, optimum politiam regno esse meliorem, quod ego longè secus esse autumo, quando ipsa rerum natura omnibus suis operibus regnum nobis commendare videtur, quæ ubique summâ consensione ab uno dominatu constricta dependent. Nam ad Chanaanæos reges quod attinet, non fuere illi reges, sed pessimi tyranni, quippe qui suâ

libidine omnia metirentur. Sed id disputare, non est hujus loci.

Igitur ut ad sacra verba veniam: *Egerunt, inquit, etiam ipsi callidè; varix hic sunt et discrepantes scriptorum sententiæ, quorsum spectet comparatio illa, quæ vi vocule, etiam, continetur. Neque enim nuper aliquorum hominum dolus atque astus est commemoratus, cum quo iste Gabaonitarum conferatur. Et Talmudici quidem, quorum opinionem nimis profectò longè repetitam, refert R. Salomon; putant hæc Gabaonitarum fraudem veluti tationem esse illius, quâ usi olim fuerant filii Jacob ad opprimendos Sichimitas, Gabaonitarum gentiles. Fuerunt enim Sichimitæ Hevæi, ut et Gabaonitæ. Nam dum hi in Regum historiâ nominantur Amorrhæorum reliquæ, nomen Amorrhæorum, pro quibusvis Chanaanæis positum est, sicut alibi quoque. David Kimhi, non satis certus, duas dicit diversas sententiâs. Earum altera est, Gabaonitas sic se fraude adversus Israelitarum vim velle munire, ut Jerichuntii nuper muris, et Haienses viribus fuerant conati. Altera Gabaonitas putavisse, simulatâ pace ab Israelitis deceptos fuisse, victosque, tum Jerichuntios, tum Haienses, atque ideò eos constituisse simili arte ut adversus impostores. Sic ferè Judæi. Sed enim demiror stupidis istis Judæis non venisse in mentem, fugam illam simulatam, quâ nuper admodum Haienses sunt ab Israelitis profecti in insidias. Eò enim profectò magis scitè fraudis comparatio illa referri potuisset. Verùm omissis istis, sententiâ, meo judicio, aperta et expedita est. Nam cum superioribus versiculis expositæ essent regulorum per Chanaanæam consultationes, conspirationesque, quibus sibi consulere contra Israelitas illi cogitabant, subnectitur, neque Gabaonitas quoque sibi defuisse, non quidem pugnandi consiliis, ut illi, sed prudentiâ, sive astu. Verbum enim hebraicum, עָלְמוּ, æquè honestam prudentiam, atque versutum vafrementum malitiamque significare, notius est ex sacris Litteris, quàm ut necesse sit hoc exemplis probare. Quin chaldæus quoque hoc loco, prudenter, est interpretatus illud, בְּעֵצָה. Porro verbum, הִתְעַלְמוּ, quod convertimus, *simulare legationem*, si præ litterâ resch scribatur, quæ forma est simillima, daleth, significabit cibum, aut viaticum comparare. Atque de hæc scripturâ expressum est, quod reddiderunt Chaldæus, Latinus, atque etiam Septuag. (nam apud hos lego, cum Syro, הִתְעַלְמוּ, non autem הִתְעַלְמוּ). Est illud*

quidem, quod nunc in omnibus hebræicis libris habetur, hæc alienum à præsentè historiâ. Mittunt enim Gabaonitæ legatos ad Josuam. Sed quando paulò post utuntur ipsi Gabaonitæ verbo, הִתְעַלְמוּ, credibile videtur, האֲתַעְלַמְנוּ esse hoc loco, atque similiter, הִתְעַלְמוּ, scribi debere. Id autem est, cibum sumpserunt, sive viaticum. Caterùm græcum verbum, quod in vulgatis libris est, ἠετοῖσαντες, an credi possit, non esse mendosum, atque accipi, pro repente et de improvviso adesse, remque constitutam aggredi, aliorum esto existimatio. Mihi certè dubium nullum est, quin per paragrammaticum errore librariorum sic scriptum sit, pro ἠετοῖσαντες. Hoc enim vetus admodum interpretæ syrus expressit de græco libro, qui Eusebii manu fuerat emendatus ex Hexaplis Origènis.

Nomen, כֶּסֶלִיא, significat id quod ex aliis atque aliis frustis, sive, ut vocant, pittacis consutum compactumque est. Nam apud doct. hebr. כֶּסֶלִיא, pro pittacio usurpatum me legere memini. Chaldæi, כֶּסֶלִיא, Syri, כֶּסֶלִיא, Germani, *ampletz*. Sunt igitur, כֶּסֶלִיא, עֲלִייה כֶּסֶלִיא, calcei diversis solorum frustis suppacti, quod Græci *expresserunt*, cum dicerent, καταπλεκτάματα, ducto verbo ἠετοῖσαντες, hoc est, à solâ. Et alibi pecus vocatur, כֶּסֶלִיא, cujus vellus est majusculis notis varium, tanquàm ex diversis pittacis consutum sit. Porro, כֶּסֶלִיא, quod à nobis conversum est, *micore maculosus* (est enim mucidus panis multis coloribus, tanquàm punctis, varius), existimat R. Salomon, à קָ, quod adurere est, dici. Interpretatur enim, *nimis excoctum atque adustum panem*. Idque ei assentuntur Aquilas, Symmachus, Chaldæus; convertit enim Chaldæus, כֶּסֶלִיא, quam vocem interpretatur idem ille R. Salomon in Misnajoth scribens, spicas nondum maturas quidem, sed in forno adustas, quales moris erat puerulis dare, cum sponsa domo paternâ educeretur. Latinus, et R. Levi F. Gersonis existimant, frusta significare panis aridi, quique in micis friatur. Græci à me stant, dum ἠετοῖσαντες, convertunt; hoc est, situ ipsos ad mucore olidi, atque virosi. R. David Kimhi nihil certè definit. Et sanè parùm refert quam hinc sequare sententiâ: sunt enim omnia in pane vetustatis indicia.

VERS. 6. — PROPECTIQUE SUNT AD JOSUAM IN CASTRA AD GALGALA, etc. Quæ verba faciunt Gabaonitæ hoc versiculo, ea non ad imperatorem, sed ad alios Israelitas facere videntur, cum obvios quosque suppliciter prehensant,

priusquàm ad imperatorem penetrârunt. Nam versu demùm octavo privatim cum Josuâ loquantur, quantum certè apparet. Uluntur autem gravi ac firmo argumento, cum pacem secum faciendam esse inde inficiunt, quia ex terrâ longinquâ veniant. Legem enim in Deuteronomio edixit verbis discretis Moses, quâ constitutum est, ut quæ civitates extra Chanaanæam posite offerrent pacem, seque dederent, ex solis tributi pendendi, et servitutis serviente conditionibus, reciperentur in fidem. Et hinc doctores hebræi acuti homines scilicet, in כֶּסֶלִיא, colligunt, non solas benedictionis et maledictionis formulas in lapidibus ad Hebal fuisse inscriptas, sed omnes prorsus Mosis constitutiones. Gabaonitas enim in illis lapidibus ipsos legisse, aut à Barbarorum scribis, qui descriperant, accepisse, quid de servandis exteris, perdendisve incolis mandatum à Deo esset per Mosen. Atqui Gabaonitæ versu 24 dicturi sunt, non ex scripto se ista cognovisse, sed nuntiata sibi esse. Quare credibilis est, illiusmodi pacis et belli leges, quas Deus præscriperat, ab ipsis Israelitis, quibuscumque fieri potuit modis divulgatas fuisse apud quosvis. Pertinebat enim ea res ad totius belli æquitatem, ut in hujus capitis extremis sumus dicturi. Et quis non existimet vel Itahabæ cognatos, qui jamdudum inter Israelitas versabantur, de gentiliis suorum salute sollicitos, ea, quantum poterant, sparsisse in vulgus, quæ vel spe, vel metu quosque possent ad deditiorem invitare? Non ergo mirandum in eo est, quòd apud Barbaros pervagata sit Dei voluntas, quam per Mosen patefecerat, atque Israelitis de isto bello mandârât. De particulâ illâ, הִתְעַלְמוּ, quam interpretati sumus, itaque, disseruimus cap. primo, ad vers. secundum.

VERS. 7. — ET DICEBANT QUISQUE ISRAELITA AD HEVÆUM: FORTASSÈ INTRA ME, etc. Hevæi nomine intelliguntur Gabaonitæ. Erant enim hi, ut dicebam nuper, Hevæi. Rectè autem putabant Israelitæ, nefas sibi esse cum eis ferrere fœdus, qui intra ipsos habitarent, hoc est, intra Chanaanæam fines, quos ipsis Deus pro sedibus donaverat. am illud discretis verbis à Deo velitum fuerat, tum in Exod. tum Deuteronom., cum dixisset: *Non percuties cum ipsis et diis ipsorum fœdus; neque habitabunt in terrâ tuâ; ne fortè inducant te ad peccandum in me. Et rursus: Non pacisceris cum ipsis, neque miseris ipsisorum.* At de exteris alia ratio erat, quippe cum quibus nulla Israelitis vitæ neces-

situdo atque familiaritas esset intercessura, etiamsi fœderati forent. Sed de his rebus quod plura dicenda erunt. Est autem hoc loco observanda Israeliticæ populi modestia, quæ erga legatos, quamvis hostium, utuntur. Neque enim molestæ curiositate in illorum res inquirunt, nedum ipsos conviciis exagitant, sed urbanè et comiter cum respondissent ad ea quæ illi petebant, à se dimittunt, ad imperatorem videlicet rem omnem rejicientes.

VERS. 8 et seq. — AD JOSUAM ITEM DICEBANT: NOS SERVI TUI SEMUS, etc. Adhuc dictum est, quid ad vulgus Israelitarum locuti sint legati, et quale ab illis responsum acceperint. Nunc verò colloquium, quod cum imperatore habuerunt, explicatur. In quo prolixius, ut debent, mandata sua omnia exponunt. Primum enim benevolentiam captant apud eum, in cuius arbitrio exorandi momentum omne positum esse prout existant. Deinde cum exteros se, atque longinquos esse subjecissent (nulla enim aliâ ratione fœdus se impetrare posse credebant, ut post dicturi sunt), conscii sibi sui mendacii illic ea addunt, quibus mentem illius misericordiâ impediunt, ne libero animo videret tum de eâ re, tum de cæteris quas nos sunt simulaturi, accuratius inquirere, atque severius existimare ille possit. Quæ enim oratio ad permovendum misericordiâ hominis animum queat esse vehementior, quam quæ se quis alteri dedit in servitutem, ut de se ille pro suo statu arbitrio? Deinceps à se ad Dei personam transcutit, ejusque magnifica et præclara facinora commemorant, inique se motos ditionem istam insituisse dicunt, non autem metu aliquo percussos. Ut enim metu hostis ad ditionem impelli, ignavorum est neque gratiam promeretur, ita illius virtutum admiratione ultrò duci, generosorum, et laude atque amicâ benevolentia dignum existimari debet. Magna igitur illud arte faciunt, ut et hoc summâ cum astutiâ, quod neque Jordanis siccata, neque Jerichuntis everse miracula commemorant, quasi longinquæ regionis incolæ nihil istarum rerum nuper gestarum vel per famam audierint. Quin ipsius quoque imperatoris laudes, cum Dei laudibus, sed tacitè, et citra adulationis vitium, miscent, cum dicunt: *Ad nomen Domini Dei tui*. Quæ enim major Josuæ gloria esse possit, quam potentissimi Dei imperatorem appellari?

Post hæc tandem, suæ legationis commentarium recitare incipiunt, his verbis: *Dicebant*

que ad nos seniores nostri, et quæ sequuntur. Atque hic quoque non minus artificiosè orationem insitunt, dum popularium suorum paratissimos ad ditionem animos prædicant, ut qui se ultrò ad id agendam obviam Israelitis miserint, quod ali ad ultimam usque necessitatem solent differre, dumque exquisitissimè rationes omnes colligunt, quibus se exteros atque longinquos esse persuadeant. Tale igitur ferè est totius orationis illorum artificium, quæ in genere deliberativo versatur. Porrò quod nos sumus interpretati, *ad nomen Domini Dei tui*, tanquam ea quæ adjiciuntur, sint *ἱστορίας* ejus, atque explicatio (fama enim, et nomen, ut apud Latinos, ita et Hebræos sæpè idem significat), id maluit alii ad religionem referre. Neque sanè id leve argumento facere videri possunt, quando Rahabam isdem penè verbis fidem suam declarantem audivimus. Isti ergo reddunt: *In nomine Domini Dei tui*. Sicut Septuag. et Latinum fecisse videmus. Hocque explicat Liranus in hæc ferè sententiam: Maximis et admirandis Dei tui facinoribus, quæ fama ad nos pertulit, adducti sumus, ut eum velimus verum agnoscere Deum, atque ideò hic profecti, fœdere vobiscum jungi cupimus, et vestram cum societate religionem amplecti. Quin et Nehmannus quoque, inter Judeos egregiè doctus scriptor, eandem sententiam secutus, scribit, Gabaonitas animo ab idolorum cultu abalienato, ad dandum vero Israelitarum Deo nomen venisse. Mihi verò videtur quidem illud alterum, quod ego de Hebræo expressi, simplicius, idque etiam Origeni placuisse intelligo. Verumtamen nolim istud pertinacius refellere, cum ab Augustino probetur. Quanquam quod ad Rahab attinet, multò sanè illa fidem suam declarabat aperitius, cum illo pulcherrimo uteretur epiphonemate: *Dominus Deus vester, est Deus in celo supra, et subter in terris*. Cæterum historia rerum in Ægypto gestarum, ex secundo Mosis libro petenda est, illa verò regum Sehonis et Og, ex quarto.

VERS. 14. — SUMPSEERUNT IGITUR VIRI DE TI-
LORUM VIATICO, etc. Verbum *ἱστορίας*, interpretatur Chaldaeus hoc loco, ipsa Gabaonitarum dicta quippe insidiosa. Sic enim explicat: *Assensu sunt, inquit, viri dictis illorum, et non consu-
erunt oraculum Domini, nimirum, quia positio,
ἱστορίας insidiari significat. Idque illi assensurum
etiam R. Salomon. Atqui insolitus prorsus est
iste verbi *ἱστορίας* usus, quod alibi perpetuò vel
de venatione, vel de cibo et viatico dicitur.*

Nam *ἱστορίας* alterius ordinis positio est, ut norant grammatici. Tum hoc quoque absurdum est, hic aliam ejus vocabuli notionem commicisci, quam quæ est nuperimè in hæc ipsâ narratione usurpatum. Quare magis ferenda videri possit quorundam interpretum sententia, quam Kimhi profert, qui verbum, *ἱστορίας*, quod nos convertimus, *sumpserunt*, interpretantur, *didicerunt*, quasi ex viatico propriis inspecto didicerint Israelitæ, Gabaonitas rem ipsam dicere. Sed omissis istis commentis, ut simplicissima, ita verissima sententia est, quam nos, post Septuag. et latinum, de Hebræo expressimus. Eaque sola probatur etiam à Kimhi. Est enim veluti oppositio quædam inter illa, sumere panem Gabaonitarum in manus, suisque oculis satis fidere, et os, sive oraculum Domini interrogare; quod R. Isaias quoque, vir sanè doctus, ut inter Judæos, sensisse videtur, quanquam obscurè. Liranus putat, ad amicitia conciliandæ cæremoniam pertinere, et fœderis sciendi, quòd Israelitæ panem à peregrinis hominibus sumunt, atque, ut est credibile, de prægustato paululum degustant. Nam ritu non dissimili fœdus firmasse Jacobum et Labanem certum est. Et apud Sallustium, Curtium, aliosque historia profanæ scriptores, exempla extant fœderum, in quibus sciendis populares de eodem vel cibo, vel potu gustare solebant. Sed alii hanc Lirani sententiam, ut insulsam atque ineptam ridet; ipsi interim ineptissimè atque stultissimè censent, ita enectos fuisse inediâ Israelitas, ut ne tantisper quidem sustinere se poterint, dum Deum consularent; quin aridum illum, et exsuccum, mucidumque panem acceptum vorarent. Scilicet post everas duas maximas urbes, cum latè vicinis agris politii essent, in regione omnium rerum feracissima, pauculis micis mucidi panis inhiabant, qui simul atque in Chananaeam pervenissent, neque dum manus cum hoste conseruissent, ita victa abundabant ex hostili agro parabili, ut caelesti manâ amplius non indigerent. Sed sunt ineptiora ista, quam ut refelli mereantur.

Porrò *virii* ii sunt, ut est credibile, qui mox principes cœtus vocabuntur, primates scilicet populi qui apud imperatorem cum essent, legatos audierant, atque opinione persuasi ab eis fuerant. Rectè ergo à Septuaginta *ἀρχηγοί* redditum est, quod in Hebræo est *אֲנָשֵׁי*: nam principum inconsiderantiam à plebe damnari audiemus. Et alibi me dicere memini, vocabulum, *אֲנָשֵׁי*, Hebræis egregium præ ce-

teris, atque eximium virum significare. Cæterum an imperator ipse quoque inter eos fuerit, qui se hic tam credulos præbent, neque Deum, ut debebant, consulunt, non planè constitutere possum; opinarer quidem certè libenter, alios, cum facilius et priusquam Josua fidem Gabaonitarum simulationi adjunxissent, huic quoque deinde fuisse assentiendi auctores. Secerni enim in hæc historiâ imperatorem nonnunquam à principibus cœtus videor animadvertere. Verumtamen pugnare haud velim, si quis contra sentiat. Memini enim à Josuâ adversus Haienses missa primum fuisse tria virorum millia, non consulto Deo, cum relati suorum nuntiorum ille credidisset. Nimirum, ut eventa ipsa ab aternâ Dei providentiâ penderent, ita ab eadem eventorum causâ continuâ serie aliæ et aliis aptæ fluunt.

Erat aeterno Dei consilio constitutum, ut Gabaonitæ aquatros lignatoresque fierent olim in sacrâ eode. Hoc ergo servituti genus, ut suis sibi fallacis ipsi jam comparant, non consulto Dei oraculo, in fœdus ab Israelitis recipiuntur, semelque recepti, potius quam violato jurjurando rursus repudiatur, ad molestam illam operam perpetuò damnantur. Neque tamen Dei providentiâ vel Gabaonitas simulationis fictæ, vel Israelitas temerariæ credulitatis necessitate constringebat. Erat enim in utrorumque positum liberâ voluntate, aut si mavis, arbitrio, illorum quidem, ut aperta atque ingenuâ fidei professione Israelitis societati se irent, sicut Rahab, vel dolo uterentur, quod fecerunt. Horum verò, ut aut consulere Deum, sicut jure debebant, aut non consulere. Ipsa enim, quam dixi, divina providentiâ illiusmodi mortalium actiones fataliter potius præcedit, quam efficienter. Sed enim divus Ambrosius libro de Officiis tertio, istam credulitatem Israelitis non ponendam in vitio putat, sed potius in laude integritatis. Scribit enim hæc ferè verba: « Ad eâ sancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? » Et etiam ipsa amica est veritas, mentiri neque minime putant, fallere quid sit, ignorant. » Et mox: « Non vituperanda, inquit, facilitas, sed laudanda est bonitas. » Et in hæc sententiam ille plura, quæ ex ipsius libro peti possunt, est enim in omnium manibus. Equidem, etsi probabile est, ne Deum ipsum quidem, si consultus esset, responsum fuisse, Gabao-

nitatis, cum pacem peterent, non esse recipiendos, existimo tamen, illis verbis: *Neque es Domini interrogaverunt, principes neglecti officii non leviter esse insultatos.*

Debemus igitur nos quoque, hoc exemplo admoniti, in iis actionibus, quas instituimus, praesertim si non sint de rebus levissimis, haudquaquam inconsultè prorepere ac ruere, sed animo, quantum possumus, dispicere, excutere, expendere res omnes, memorià repetere atque aestimare praeteritas, intueri praesentes, futuras conicere, atque ex his omnibus quid facere conveniat non solum nobiscum ipsi deliberare, sed imprimis Deum suppliciter orare, ut quod faustum felixque sit, id nobis in mentem mittat, operasque nostras ad suam ipsius gloriam, nostram verò salutem dirigat. Non enim nos, sed Deus novit, quid nobis ex usu sit, ac pie religiosè consultus, promptè atque benignè, quae salutaria sint, nutu impetusque divino suggerit, et, ut Aratus cecinit, *ἄνω ἀνδρῶν ἔστι θεῶν σφαιρίων*. Cateroqui si solius nostri animi ductum sequamur, nihil agamus consideratius, quam si, quid agendum nobis sit, sortiamur, ut est à Xenophonte, lib. 1 Pœd., prudenter dictum. Debet insuper hoc exemplum cautos facere principes et magistratus, hoc est, qui rebus publicis praefecti sunt, ut ne eos concionatores uribus atque aulis suis temerè et inconsideratè sibi scient, quotquot splendèdè ac magnificè de Deo concionantur, atque Dei miranda opera continuo in ore habent, quasi nuper ex caelesti aliquo consensu adsint. Est enim multis istius generis hominibus id nunc propositum, ut cum se in magistratûs gratiam insinaverint, et partim magnae pietatis adversus Deum praetextu, partim, fictis accommodatisque ad opiniones imperitorum doctrinis, animos omnium sibi conciliaverint, antiquis bonisque constitutis aliis sublati, aliis labefactati, aut perversis, rempublicam sursum deorsum miscere, ut ipsi, quod vulgò dicitur, in aqua turbida, quasi aliud agentes, piscari tacitè queant, atque aliorum hominum fortunas involare.

VERS. 15.—*FECITQUE JOSUA CUM ILLIS PACEM, ET PERCESSIT IPSIS FŒDUS, etc.* Pacem facere, ad hostiliem voluntatem, atque offensivam deponendam pertinet. Fœdus verò percutere, ipsa pacis pacta, atque leges et condiciones inuenitur, ut est alibi à Nehemanno scriptum. Condiciones autem, quibus cum exteris civitatibus, è quarum numero se Gabaonitae simulant esse, depaiescendum erat, perscriptae

sunt in Deuteronomio, cap. 20, vers. 10: *Cùm accesseris, inquit, sive Deus, sive ejus interpres Moses, ad urbem, ejus oppugnande causâ, atque pacem illi obtuleris si vicissim ipsa pacatis te verbis exceperit, portasque tibi aperuerit, omnis populus qui in eâ fuerit inventus, erunt tibi tributarii, et servient tibi.* Et hæc lex, ut volunt Hebraei plerique omnes uno ore, aequè pertinet ad Chananæ colonos, atque ad externos et longinquos. Nam quod proximus deinceps versiculis discrimen inter indignas et alienigenas positum est, id de iis civitatibus modò accipiendum esse aiunt, quæ pacem oblatam recusant. In his enim, si externa sint, mares quidem militares occidendos esse, at parvulos et feminas cum prædâ universâ diripi servarique posse; at si non longinquæ, sed intra Chananæ fines sint posita, quos Deus Israelitis pro hereditate assignavit, tum nullius prorsus ætatis aut sexus vite parcere fas esse. Quæ opinio Judæorum si vera est, quid est cur Gabaonitæ externos se simulare debeant, cum pacem etiam ultrò oblatam veniant, neque expectent, ut rogentur?

Sed dicent Judæi, illos non satis fuisse legum Mosis peritos. — Atqui Israelitæ ipsi dicunt, se cum suarum sedium incolis, etiam pacem ambient, pacisci de pace non posse. Sed fuerit sanè etiam Israelitarum vulgus ignarum illius instituti Mosaicæ, quid de imperatore Josuâ dicemus, qui queritur, impositum sibi à Gabaonitis esse, eò quod se externos, atque longinquos simulassent; eaque ratione pacem à se impetrassent? quando, si rectè Judæi sentiunt, etiam ut indigenæ illi fuissent, pax eis, quam ultrò petebant, jure non debuit denegari. Ego igitur verius esse existimo, recipi quidem etiam Chananæos, si pacem petant, in amicitiam posse, sed non continuo iis conditionibus, quibus admittuntur externi. His enim, etiam salvis sibi suis superstitionibus, pacem pro mutua pace, et insuper tributo pendendo dare fas esse. Illis verò, ne sic quidem, nisi falsâ religione cum verâ commutata, et hoc propter contagii superstitionis periculum ex propinqua familiaritate. Sed hæc mox persequemur latius. Ille tamen facere non possum, quin addam, nonnullos existimare, neque externos, neque domesticos, hoc est, Chananæos, si pacem ultrò petant, quod Gabaonitas facere videmus, neque expectent dum pacem poseantur, ullâ servitutis specie, quale est tributum, molectari debere, modò ut domestici qui sunt, et Chananæam incolunt, probum Dei cultum simul

cum pace amplectantur. Atque ad hanc suam opinionem firmandam, tum Rahabæ exemplum proponunt, tum præsens Gabaonitarum. Sed ista quoque fortassis post à nobis disputabuntur. Fecit ergo Josua cum Gabaonitis pacem, et sancivit fœdus, tanquam cum exteris videret, salvâ ipsis suâ religione avitâ. Aut si hoc minus probas, malisque assentiri illis, qui putant Gabaonitas ultrò veri Dei religionem fuisse amplexatos, dicemus, ut vectigales socios esse dimissos, cum et fraus illa, et insuper patriæ conditio duriolem servitutem promererent, aut ne vectigales quidem, quippe cum se ultrò deditum venissent, idque Nehemanno placet.

Porrò quod additur, *conservandi ipsos socios*, est hebraicè, *וְשָׁמְרוּ*, hoc est, faciendi ut viverent, quo ego caveri modò puto, nullum visum vitæ periculum fore ab Israelitis, non etiam Israelitis debere ab illis omne periculum propulsare. Audiemus quidem proximo capite, Josuam promissimè opem illis tulisse adversus ipsorum hostes, cum eam implorassent, sed id ille Dei oraculo montus fecisse videtur potius quam de compacto. Quanquam nihil moror, quominus contra, si lubet, sentias. Illud tamen certissimum esse debet, mutuum subsidium sibi suisque non esse depectum imperatorem, à Gabaonitis. Nam in nefario crimine positum Israelitis est à sacris vatibus, quoties non in solo Deo, sed simul in re aliâ ullam haberent confidentiam. Exstant quidem in sacrâ historiâ aliquot exempla fœderum, quæ viri sancti cum profanis et barbaris inveniunt. Cujusmodi sunt, fœdus Abrahami cum Mamre, Eschol, et Aner, cum Abimelechoque, et Isaci cum eodem rege, tum Jacobi cum socio suo Labane. Et, ut multa præteream, Davidi et Salomoni cum Hiram rege Tyri quanta fuerit amicitia, testatissimum est. Neque enim nefas est homines, quamvis diversas religiones colant, inter se amicitiam gerere, quâ est ab ipsâ rerum naturâ universum genus humanum quodam modo consociatum, sed usque ad aram, ut est in proverbio. Nullius enim societate sic se implicare fas est, ut ejus causâ de viâ veræ virtutis sit declinandum, aut ullâ ex parte polluenda religionis jura. Id quod regi Achaz evenisse proditum sacris litteris est, qui cum sibi regem Assyriorum adjunxisset belli socium, ejus gratiâ aram, et alia quæ in sacrâ aede divino consilio benè constituta fuerant, mutavit. Et regi Josaphat obnuntiavit vates Jehu iram Dei, quia impio Achab auxilium tulisset,

eumque quem Deus oderat, amasset. Rursus cum idem coivisset societatem cum Oroziâ, impissimo rege, vaticinabatur ei Eliezer Marseus, ob eam rem infelicitè cessurum, quod insulisset. Idque ita evenit. Nervum enim, quas ad Tharsen miserat, frangebantur, neque cursum tenere potuerunt. Sed non est opus plura malorum illiusmodi pactioinum exempla adjungere, sunt enim plurima in sacrâ historiâ. At Abraham, Isaac, Jacob, suis illis fœderibus, nihil aliud quam pacem dabant atque constituabant Barbaris petentibus, in quorum regione vivendum amicè ipsis erat, cum nondum essent jussi hostiliter se erga illos gerere. Non enim adhuc pervenerant ad summam improbitatem Amorrhæi. Nequaquam autem pacem ab illis turpiter, aut flagitiosè redimebant, cum vel suis ipsi rebus ab eis timerent, neque Deo suo satis confiderent, vel ullos hostes suos ulciscendi, vel aliorum denique fortunas invadendi subsidium quærerent. Itaque ad republice tranquillitatem conservandam, absque ullâ Dei offensâ, illorum fœdera spectabant. Jam verò Hiram amicitia, quâ tum Davidem, tum Salomonem esse usum diximus, quis nescit, quam fuerit illis utilis ad ea comparanda, quæ ad cultum divinum pertinebant? Hæc eò à me monentur, ut vitandam nobis esse intelligamus, arciosem, quæ lubrica sit, atque periculosa præsertim, conjunctionis necessitudinem, cum iis, quos à probâ religione alienos esse scimus, ne videlicet eodem cum eis devincti jugo, illic simul abripiamur, quò ipsi, prava sua studia secuti, feruntur. Cateroqui pacem atque tranquillitatem in republicâ, quantum possumus, colamus et conservemus.

Sequitur in sacris verbis: *Et juraverunt ipsi principes cæthis, etc.* Certum est, Hebræorum fœdera eo ritu fieri solere, quem Abrahamo olim Deus monstrârat, cum ipse inter partes sectorum pro medium animalium transivisset, eaque cæremoniâ promissa sua, quæ paulò ante illi vigili, tum verò rursus secundum quietem promittebat, confirmasset. Nisi quòd Abraham quinque animalium genera capere jussum est, nimirum quæ sola olim ad sacrificia forent utilis. Cætera autem fœdera uno animali secto ritè fiebant. Atque hæc est causa, cur Hebræi fœdus facere, dicant *וְהָיוּ דְבָרֵי הַבְּרִית*, hoc est, dividere, aut dissecare fœdus. Sicut Latini suum representantes ritum, dicunt, *percutere fœdus*, de quo ritu vide Livium decad. primæ lib. prim. Ejus quod dico, optimus tes-

tis est Jeremias, cum ait, cap. 34, v. 17, 18: *Edam viros, qui pregerunt fedus, quod dicebant* (hoc est, fecerant) *coram me, vitulum quem dividerant in duas partes, et transierant inter partes ejus, etc., eos, inquam, dedam in manus hostium ipsorum, etc.* Sed præter eum ritum, non dubium quin solennes etiam preces adhiberi consueverint, in quibus jusjurandum quoque continetur, sicut in sponsionibus dari sponsores, aut etiam obsides. Itaque hic jurarunt, non solus imperator, verum etiam senatus populi. Nam in republica bene constituta, in qua non ex libidine unius hominis omnia geruntur, sed ex optimorum consilio, unus res moderatur, solent legitima federa firmari unius quidem auctoritate, sed qui ante sibi senatus auctoritatem adjunxit. De populi jussu nihil dico, cujus ego iudicium semper existimavi incertissimum esse. Ceterum illius ceremonie mysterium, quod inter dissecti animalis duas partes transibant, qui federe conjungebantur, non jam explicabo. Longum enim esset, et præter scopum. Ritum autem spargendi sanguinis victimæ, quo usus est Moses in Exodo, credibile est hic non esse adhibitum. Est enim ille eorum, qui veluti iniunguntur sacris rebus. Sed de hoc post dicemus, idoneo loco. Memorantur etiam Jacob et Laban cum fedus facerent, lapidum cumulos congestisse. Verum id non tam de more eos fecisse, ego certe opinor, quam veluti terminos constituisse, quos neutri fas esset aliquando, nocendi alteri causâ, transire. Et de federe hæc habentis.

VERS. 16. — FACTUM EST PORRO POST FINEM TRIDUI DIERUM, etc. Quo nuntio fraus sit patefacta, scire nihil refert. Est tamen credibile, Israelitas apud Galgala in stativis castris nimiam otium trivisse, post eversas duas urbes Jerichantem et Hai, sed assiduis excursionibus loca late vicina explorasse, cum frumentandi, aliasque res ad victum necessarias querendi, tum regionis cognoscende causâ, vocantur autem Gabaonites recte, vicini. Nam, quod proximo capite dicitur, ut plurimum unius diei et noctis itinere ad eos usque exercitus à Galgalis traduci potuit. Scribit quidem auctor compendii historie Josephi, is qui Ege-sippi nomine se vendit, distare Gabaonem à Jerosolymis stadia non amplius quinquaginta, secutus, ut videtur, in eo etiam suum Josephum, qui lib. de Bello Judaico secundo litteris prodidit, Cestium à direpta Lyddâ, cum exercitu Jerosolya, per Bethoron petentem,

castra fecisse in Gabao, stadiis quinquaginta ab Jerosolymis positâ. Sed incertum est, an Josephus Saülis Gabaam, an hanc nostram dicat. Verum demum, nostram dicere, cum abfuerint Jerosolya à Galgalis plus minus stadiis centum sexaginta, ut idem Josephus scriptum reliquit; conficietur, à Galgalis ad Gabaonem decem et ducentorum stadiorum fuisse intervallum, hoc est, vicies sexies mille passuum et stadiorum duorum. Exstabat autem Gabaon ista in parte montis ejus, quem Silo vocat sacra historia, qui mons ferè ad occidentem positus est, cum Jerosolya intuemur. Ceterum quid sit illud, intra Israelitas habitare, nuper exposuimus.

VERS. 17. — PROPECTIQUE SUNT ISRAELITE ET VENERUNT AD ILLORUM URRES, etc. Non fuisse tridui iter ex Galgalis ad Gabaonem, satis certum est ex iis quæ proximo narrabuntur capite. Pervenierunt ergo illuc die tertio, ex quo rescivimus fuerat, illos esse indigenas Chananaeos, et quidem, ut est probable, cum exercitu, quo, positus opportuno loco castris, terrorem maximum simul omnibus illorum urbibus attulerunt. Erant enim inter se vicina, unde et simul recensentur tres illic Cephira, Beeroth et Kariathjaarim apud Esdram, et Cephira quidem, atque Beeroth sorte obtigerunt Benjaminitis, ut suo loco dicitur, in terræ partitione, Kariathjaarim verò Judeis. De Cephira est alibi mentio. Beeroth Remmonem patrem Rechab dedit, ut proditum est in Regum historia. Habet hæc nomen à puteis, sicut alia quedam et cognominis in Deuterom. At Kariathjaarim multis est historiis celebris. Eusebius in libello de Locis hebr. hanc collocat mille duntaxat passibus ab Jerosolymis, quâ Lyddam iter est, nisi mendum est in numero. Certè Burchardus circiter quatuor horarum et dimidiæ itinere ab urbe sanctâ abesse scribit, hoc est, ferè decem millibus passuum. Sed erit, opinor, alius locus de his disserendi paulum accuratius. Nomen ipsum significat, urbem Sylvarum, quod ei datum est à vicino, atque adeò adjacente monte, qui יריבו, Jaarim vocatur, utpote sylvosus, et multa materie ob situs, opinor. In eo monte exstabat illa, quam modò dicebamus, Cephira. Abfuisse autem Kariathjaarim propè admodum ab urbe Bethemes, de historia sacra arca à Palestinis remissâ discimus. Vocata est etiam Cariathbaal, et nonnunquam Baala. Sed erit sæpius de istâ urbe dicendum. Jeremias ratem Uriam in eâ natum fuisse prodidit, cap. 26, v. 20,

VERS. 18. — ET NON PERCUSSE RUNT IPSOS ISRAELITE, EO QUOD, etc. Cum jam ad Gabaonitarum ditonem armatâ manu perventum esset, locusque, ut dixi, opportunus castris captus, unde invadi illorum urbes faciliè possent, vulgus quidem militum, vel prædæ, vel vindictæ, vel utriusque rei avidum, suæque libidinis, ut solet, non rationi, obsequens, fremebat desiderio gentis invadendæ. At tribuni, alique duces et præfecti, consilio priusquam armis de totâ re decernendum esse, prudenter existimabant. Itaque hi deliberatione habitâ constituerunt, nefas esse, eos hostiliter aggredi, quos interposito, per Dei Israelis sanctissimum nomen, iurejurando, jussissent vite suæ securos esse. Quare populi tumultuantis impetum oratione reprimendum putaverunt, quæ oratio proximis duobus versiculis exponetur. Rursus hoc loco incerti sumus, an isti deliberationi præsens interfuerit cum cæteris ducibus imperator Josua, an verò illorum decreta ipse in Galgalis approbaverit, cum ad se de re totâ relatum esset, atque illuc etiam Gabaonitas evocavit, sententiam audituros. Equidem utrum verum sit, non satis video constitui posse. Quamquam verisimile esse videatur, ipsam militum concionem adversus præsentem imperatorem suum non tam insolenter fuisse murmuraturam. Neque enim id alibi ab eis esse factum apparet. Verumenimverò, quando non esse idèò percussos ab Israelitis Gabaonitas, scriptum est, quia principes cœtus ipsis jurassent, illud videndum primò est, si isti non jurassent, nam fas fuisset homines ultrâ pacem petentes, seseque dedentes, armis invadere atque opprimere. Et sanè, si per dolum pacem illicitam impetravissent, hoc est, ut salvis sibi suis superstitionibus, tanquam exteri vivere domi possent, dubium non est, quin datam contra legem Dei pacem eripere illis Israelitis rursus debussent. Sunt enim ista legis verba: *Non ferias eam ipsis, et diis eorum, fedus*. Sin autem non se solum dedidissent, sed etiam vero Deo dedissent nomen (nam hæc quedam habere de istâ deditioe opinionem dixi) atque his conditionibus data ipsis pax fuisset, scelus fecissent, neco certè iudicio, Israelitæ, si, etiam injurati, manus illis intulissent. Nam ad militum murmur quod attinet, ignorabant illi, homines imperiti, æquiores duræ illius legis interpretationem, de occisione occidendis exterminandisque Chananaeis toties à Mose decantatæ. Non enim debebat ea ad illos pertinere, qui Israelitarum sacra ample-

cterant, adscriptitque Israelitæ fierent, ut mox dicemus. Deinde et illud quaeritur, an si jusjurandum non conservassent Israelitæ, quod Gabaonitis domesticis dederant, cum exteros esse credere, pernici scelerè se obli-gassent. Hic ego planè statuendum putò absque ullâ dubitatione, si summo agatur jure ipsaque stipulantium verba spectentur, non magis obligatos fuisse Israelitas Gabaonitis, qui se alienigenas simulabant, indigenæ cum essent, quam si quis rei venditæ pretium, ei se numeraturum, per errorem, promittat, qui sibi nihil vendidit. Sed prisci illi homines, non solum qui veræ religionis, sed qui falsarum etiam superstitionum cultores fuere, ut parè atque religiose admodum, ad jurandum descendebant, ita sua promissa, quorum semel Deum suum sponsores nuncupassent, quovis modo servare se debere putaverunt. Atque ea est ratio videlicet, cur et Gabaonitæ magnum sibi operæ pretium fore staturerent, si vel dolo jusjurandum ab hoste accepissent, et Israelitæ, quam temerè delisset fidem, eam hæc temerè mutare se debere existimarent. Cæteroque neutros ignorasse, vitiosum esse illud sacramentum, quod per fraudem datum acceptumque fuerat, vel ex illo intelligas, quòd alteri castigant dolum, alteri penam, metis excusatione, sic deprecantur, ut intermi quavis se dignos esse fateantur. Et mihi quidem certè videtur, tale quiddam hic accidisse principibus cœtus, quale sanctissimo viro Isaaco, cum à filio Jacobo benedictione circumdueretur. Nam cum Dei consilium esset, ut major Esaù, minori Jacobo cederet, faciliè pater in agnoscendo filio deceptus est, quamvis tum vox ipsa, tum præperperus atque limaturus reditus erroris illum satis admonerent. Et licet benè precantis animus totâ cogitatione in majorem natu filium intentus fuisset, ut ejus et nomine, et personâ stipulatio benedictionis fiebat, tamen necesse stipulatoris fraus, neque benedictio error obstitierunt, cur minus cum à Deo, tum à parente fausta illa precatio rata haberetur, efficacque esset.

Sed objicis mihi, planè jusjurandum, quod cum Dei verbo pugnat, firmum ac fixum esse minime debuisse. Denique enim mandarat, ad internecionem cadere Chananaeos omnes, nullo discrimine, idque repetitâ sæpius lege, ut dixi. — Atqui ea lex, quamvis universè edicta esset, propter eorum paucitatem, qui vitæ antea penitentia essent meritis poenas effugituri, tamen, quod in plerisque omni-

buss legibus usuvenit, æquitate quãdam erat interpretanda, ut cum aeternã Dei clementiã congrueret, conveniretque. Neminem enim ille quidem, unquam patitur serò ad se confugere, qui modò ex animo id faciat. Sed ea est rursus divinã justitiã ratio, ut qui nimis diù illius lenitate ad peccandi licentiã abutuntur, et divitiã patientiã ejus contemnunt, si ferè nunquam in animum inducant, seriò gratiã ab illo suorum delictorum petere. Nam, ut demus, ne ipsos quidem jurantes principes Israelitas, tùm, quando jurabant, de æquiore illã interpretatione legis cogitãsse, tamen ita moderatus est ipsorum animos suo instinctu Spiritus ille cœlestis, ut vel imprudentes consilium Dei sequerentur. Etenim, ut ad Isaaci exemplum revertar, dubitatio nulla esse potest, quin lex illa, de prerogativo filii, qui patri suo primus esset natus, jam tùm in Isaaci animo sine divinitus inscripta fuerit, ut post est à Mose in Deuteronomio mandata litteris, cum ille Jacobum pro Esaù, deceptus, benedictionis prerogativo amplificaret, et, si aeternã legis verba intueare, contra jus fasque, eum qui suorum erat virium principium (ut est in sacris verbis) natuque major, illi, qui minor erat, posthaberet. Et tamen, cum mox errorem, in quem filii astu delatus fuerat, intellexisset, adò factum non mutavit, ut extemplo comprobaret etiã, cum diceret: *Benedixi ei, eritque benedictus*. Nimirum viri sanctissimi animus similiter occulto quodam divinã approbationis sensu ducebatur.

Sed rogas, quo argumento conciam, illud principum jusjurandum Deo fuisse probatum. Nam quin Isaacus rectè Jacobo pro Esaù benedixerit, quamvis contra aeternam legem id fecisse videretur, non audebis, opinor, negare. Sanè illi approbationi satis multa magno sunt argumento, et inprimis illud quod in Regum historiã, consultus de fame Deus, respondet, ejus mali culpam in Saulem et hujus progeniem esse conferendam, propterea quòd occidisset Gabaonitas, quibus Israelitæ jusjurandum dedissent, cum ille tamen his, quãdam aemulatione, studuisset.

Sed jam me acrius urges Saulem immeritò juris pejerati poenas fuisse sanguine suæ posteritatis, cum dixerim, illud Israelitarum jusjurandum non fuisse legitimum. Verùm est expedita responsio, ut primã actione illud ratum non fuerit, cum dolus intervenisset tamen eã, quæ deinde secuta est, pactione ipsos se Israelitas obligavisse firmè Gabaonitis, et quòd

ante juraverant, ut id ratum haberi deberet, effecisse. Porro, quia diximus, approbasse Deum factus, quod per fraudem Gabaonitæ ab Israelitis impetrasset, usque adeò, ut à Saule violatum graviter vindicaverit, ne quis isto exemplo licere sibi putet, quemquam mortalium fallacis sibi obligare, monendum hoc loco putavi, Deum quidem, qui in ipso rerum omnium ortu ex tenebris lucem procreavit, pro immensã suã bonitate, et erga homines benevolentia, interdum ea quæ impropè à nobis fiunt, sic moderari, ut bono et salutis nobis sint, presertim si non ut actio ipsa, sic et animi nostri propositum fuit improbum. Sed cum eò id ille faciat, ut intelligamus, non nostras actiones et operas, quã nostræ sunt, mere ri prosperos rerum eventus, sed causam omnis boni ad ipsum vertere discamus, tanquam ad patrem luminum, ut inquit Jacobus, à quo omne bonum donum, et perfectum munus nobis obtingit, et simul ut nos in thesauri bonitatis suæ admirationem rapiat, atque ad se amandum colendumque convertat, quanta fuerit nostra perversitas, si tantam illius erga nos clementiam, quã pro meritis penis tribuit præmia, nos in peccandi adversus ipsum licentiã convertamus? ac non potius immensam ejus bonitatem amplectamur, jusque eò alacrius obsequendum nobis esse statuamus? qui cum sit ipsa simplicissima veritas, ipsaque virtus perfectissima, non potest non ei displicere, quicquid fraudi, vitio est affæ. Sed de istã re plura diximus ad versiculum quintum capituli secundi. Illud quidem in Gabaonitis placere Deo potuit, quòd non obstinatis animis, cæcòque furore, ejus aeterno decreto obistere, cum aliis Chanaanais, in animum inducerent, sed potius cum eo populo, quem ille amaret, federe consociari cuperent. Verùm fraus ipsa, quã hoc consequi studebant, placere quidem nullã ratione ei potuit, quã fraus erat. Sed facile ignovit, gratiamque erroris feci hominibus, de suã ipsorum salute, nisi ita agerent, prorsus desperantibus, et alioqui à vere virtutis perfectã sapientiã longissime adhuc remotis. Et hæc modò hactenus, mox enim pluribus erunt explicanda. Igitur, *murmurabat omnis cæcus adversus principes*.

VERS. 19. — DICERANT AUTEM OMNES PRINCIPES AD UNIVERSUM CŒTUM, etc. Objurgabat, inquit, universum vulgus suos duces, atque tribunos, quòd in expeditionem non educeretur castris, quippe nuperã victoriã Haiensi benè animatum, et prædæ dulcedine inescatum, atque, ut est

credibile, ejus causæ, quæ illos à pugna retinebat, prorsus ignarum. Nam in omni hominum cœtu plerumque fieri assolet, ut quò quisque à magistratùs dignitate consiliisque abest longius, eò sit ad huic obrectandum propensor, nimirum cum ejus ordinis homines ferè non ratione, non judicio, quo non possunt, sed solis suis affectionibus ducantur, atque ad presentem se fortunam semper accomodare cupiant, non possunt non ferè molestè ea quæ hisce suis cupiditatibus adversantur imperia. Ad hoc, quantò sunt rerum omnium imperitiores, tantò plus sapere se arbitrantur, minisque magistratùs suæ prudentiã concedunt confidentique. Denique eò est etiam confidentius vulgus, quò minus potest adversorum casuum momenta expendere atque providere. Multitudo autem confidens semper est superbã intolerabilis, sicut contra, pavens stupore indocilis atque intractabilis. Postremò inde quoque populi temeritas nasci videtur, quòd quæ adversa eveniunt, ea inglorios atque obscuros homines parùm tangant. Omnis enim rei malè gestæ culpa et ignominia in principes solet rejici. Quamvis autem fatendum est, in eo quoque ordine viros multos esse, aut indole ipsã, aut educatione probos, tamen isti aliorum clamoribus, tanquam flabellis, facili ad temeritatem inflammantur. Hoc autem ideò dico, quia in sacris verbis, universè scriptum est, omnem cœtum murmurasse, sicut rursus, omnes principes adversus importunitatem cœtùs respondisse.

Atque hic sanè observanda est sancta principum omnium inter ipsos concordia. Eã enim factum est, ut suam in populum auctoritatem facili tenerent. Nihil enim est, quò magis levetur, imminuatur, abjiciatur denique magistratuum auctoritas atque imperium, quam si ex eo ordine nonnulli, ut sæpè fit, nimis populares, à suorum collegarum rectis, salutari-busque sententiis, ad civium perversa stidia voluntatesque adjungant. Quod sanè probus nemo unquam fecerit. Tanti enim viro bono debet esse recti atque honesti species, ut ab ejus scopo nullius multitudinis vel metu, vel gratiã, patiatur aliquando voluntatis suæ oculos dimoveri. Nimirum hoc est, quod Deus per Mo sen in Exodo edixit cap. 23, v. 2: *Ne sequeris multitudinem in malis*. Est quidem, quod dici solet, vulgus bellua multorum capitum, quæ suo frenatù atque tumultu sæpè terrilissis admodum videri potest. Verùm debet magistratus existimare, veritatis, hoc est, ipsius Dei presi-

dio satis se tutum esse, ac proinde constanti gravitate in suã auctoritate tuendã pergere, atque etiãsi planè frustra se in presenti urgere propositum intelligat, et obtinere se posse desperet, tamen minime cedere, vel rectam sententiam ullã simulatione deserere. Ita enim omninò fiet, ut evincat tandem insanum populi furorem, sibi què multò etiam quam habuerat ante, auctoritatem conciliet majorem. Planè ut cum aut maris aut fluminum inundantes magno aestu aquæ oppositos aggeres tuos jamjam perrupturã videntur, si non majoribus objectis molibus illarum impetum repuleris, aut saltem veteres aggeres continuò sarciendo interpolandoque sustineris, sed cedendo, novosque loco remotiore moliendo laxamentum inundationi illarum dederis, nihil profectò aliud quam ipsas, ut in dies majore violentiã in tuas novas machinas ineurrant, easque oppugnent, provocaveris. Quare scitè, ut omnia, illud à Platone dictum est de Leg. lib. 1: *«Egregiã victoriã ipsas se vincere civitates, quoties qui in eis prudentiã antecellunt, multitudinem vincunt.»* Igitur israelitici populi duces atque tribuni, uno animo simul omnes, præ militum cupidini, quamvis universi fremant, nihil concedendum statuunt, et quod illi flagitant facere se non posse aperit pronuntiant. Verum tamen, ne solo imperio, quod per se omnibus hominibus grave videtur, illorum animi exacerberentur magis, perturbenturque, quam sedentur, justam curã à Gabaonitis abstinere manus debeant, causam præmittunt, hanc scilicet, *quia juravit ipsis per Dominum Deum Israelis*, idè nefas esse tangere, ubi illud, *Deum Israelis*, magnam habet emphasim, perstringit enim populi animos religione, cum eum Deum sponsorem impunitatis esse datum audit, quem ipse colit. Cæterum verbum 22 non solum simpliciter tangere, sed etiam vulnus infligere, sauciare, percutere, atque etiam alio allicere incommodò significat. Idque perspicuè apparet ex nomine 22, cui vulnus, ulcus, morbus, damnus, allaque hujusmodi mala subiiciuntur. Quare Chaldæus non insecit, pro, *tangere*, reddidit, *nocere*, sive damnum dare.

VERS. 20. — HOC FACIEMUS IPSIS, ET CONSERVABIMUS EOS SALVOS, etc. Verbum infiniti modi, ex formulã הִפְלִיחַ, הִפְלִיחַ positum est, pro futuro tempore modi finiti. Quare cum Chaldæo convertimus: *Conservabimus ipsos salvos*, sicut etiam Septuag. fecerunt, si syro interpreti credendum est. In pronouine hoc existimo